



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Ad Eumdem In historiam militarium viarum à Nicolao Bergier scriptam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

## A D E U M D E M

*In historiam militarium viarum à Nicolao Bergier  
scriptam.*

DUM volucri pennâ Latiarum strata viarum  
Pastor obit , captique refert miracula mundi ,  
Ipse sibi arte viam mirâ munivit Olympo ,  
Et paribus scriptis Romanum æquavit honorem.  
Obstupui visu ; & quamquam spes maxima dictis  
Facta , Vyenna , tuis fuerat ; mens conscientia veri  
Invenit majora tamen , promissaque rebus  
Vic̄ta suis ultrò agnoscit , gaudetque fateri.

Quid dicam , unde novæ surgent exordia laudis ?  
Ten' memorem egregius Cœci labor Appia Claudi  
Appia Romulidum quondam regina viarum ;  
Vel quæ Flaminii te jactas nomine , vel quæ  
Æmilii servas æterno in marmore famam ;  
Atque alias , quas dum terram victricibus armis  
Æneadæ lustrant , decorum monumenta suorum  
Extruxere opere immenso , nec disparate sumptu ,  
Qui vix tot census , tot vestigalia latè  
Regnantis populi , & mundum ditione tenentis  
Sufficerent. Quoties audacibus invida cœptis  
Objecit natura moras ; quotiesque labore  
Indoluit victimum numen , legesque recepit ?  
Depressi montes , æquataque culmina campis ,  
Aggeribus valles obductæ & molibus altis ,  
Ac jussi substare lacus , perque invia ductum  
Flumina iter , medioque diremptus limite Nereus  
Ad frænum docilis captivos volvere fluctus.  
Sæpe etiam excisæ rupes , pertusaque saxa

Fornicibus longis , perque intima trames apertus  
Viscera petrarum , & cœci penetralia Ditis.

Huc adde egregias cultu , spoliisque superbas  
Pyramidas populorum , auctosque insignibus arcus ,  
Balneaque , & thermas , & vulgi gaudia circos ,  
Et vota in medio belli discrimine templa.  
Hæc & plura suo spectanda volumine Pastor  
Exhibuit , nullis ante intellecta priorum ;  
Et quamquam tritos Latii describere calles  
Aggressus , tamen astra novo sibi limite pandit .

CHRISTO JESU  
IN EUCHARISTIA  
DE CORDIBUS TRIUMPHANTI  
EPINICIVM.

**S**TERNITE fronde vias & pictis compita velis ,  
Spargite ferta manu , date tura , incendite odores :  
Purpurea passim florentes luce fenestræ  
Luxurient , vincantque suis funalia solem  
Ignibus. In cantus & verba precantia voces  
Effundant liquidas pueri innuptæque puellæ  
Certatim , festi resonent toto æthere plausus :  
Victor adest Deus , Ecce Deus. Non qualis opacâ  
Nube vehens olim Zephyros per inane jugales  
Cum tonitru ciet , & tristes denuntiat iras  
Gentibus , inque reos cœlo gravis ingruit ultiō :  
Sed felix placidusque suis , & dignus amari  
Ingreditur famulas populis lætantibus urbes ,  
His secum referens pacalis munus olivæ.